Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite

Quelle:
Copyright:

LECTORI.

Indulgentiſſimi Domini noſtri Auguſti ea ſemper mente fuere, ut literariorum theſaurorum, in quibus accumulandis nullis ſumtibus, nulli induſtriae parci voluerunt, utilitas ad quamplurimos pertineret. Hinc ſpatioſum Atrium Bibliothecae Palatinae praeſtitutis horis quotidie Lectoribus refertum videas, quibus ſedula in promendo Miniſtrorum comitas nihil, quod quidem ſuppetit, deeſſe patitur. At vero quid iis doctrinae Studioſis facias, qui ſparſi per omnes Europae Provincias iſthoc Principum beneficio frui nequaquam poſſunt? Ignorabunt illi in perpetuum, quaenam ipſorum commodis opportuna in pluteis noſtris deliteſcant, edentque Opera ea ſolum de cauſſa minus perfecta, quod, unde perfectiora peterent Exempla, compertum non habuerint? An vero Bibliothecarum Praefides, ut huic occurrant malo, quidquid in ſcriniis ſervant, absque delectu, promiſcue, prelo ſubjicient? Ego vero illorum eſſe cenſeo, non laborare aliorum loco, ſed aliorum labores adjuvare, indicare, et offerre ſua, non obtrudere. Atque hic media incedendum via; neque nudis Codicum Titulis, ut quibusdam Bibliothecis placuit, in chartam conjectis provehi multum ſtudia, neque doctis, quae ſuperioris Seculi fuit intemperantia, ambagibus et excurſibus; acuendum appetitum, non ingerendum faſtidium; Codicem quemvis ita delineandum, ut ex iis, quae dicuntur, planum fiat Lectoribus, quid in rem ſuam inde derivare poſſint; adlaborandum, ſi quidem ἀδεσποτος, Ψευδωνυμος, dubiusve ſit Codex, ut veri Autoris obtineatur notio; proferendum aliquod genii, ſtilique illius ſpecimen; notandum, an prelo jam proditus unquam fuerit, an ea, quae prelo prodita fuerunt, e Codice mſ. perfici queant, an plura ejusdem Operis in ſcriniis extent Exempla, quo abſolutius eorum inter ſe contentione coaleſcat Απογραφον; non tamen integri cujusdam Operis inſtituendam contentionem, cum e recenſu paucarum etiam paginarum arbitrari poſſint Periti, quid opis in hoc, illove Codice ſit repoſitum; non reformidandam της Μικρολογιας notam, quam accurationi laborioſae facile nimis aſpergunt ingenia frivola, neſcia videlicet,

minutis